



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Ratio II. Deus mala permittit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

ET si nullâ necessitate urgente illicitum est hæreticos tolerare, illisque falsæ Religionis libertatem permittere aut promittere, at, cum Reipublicæ salus & veræ Religionis conservatio id exigit, *quod non est licitum in lege, licitum facit necessitas.* c. quod non est licitum. 4. extra: de Reg. Juris.

RATIO II.

Deus mala permittit.

Humanum regimen derivatur à Divino & ipsum debet imitari ait S. Thom. 2.2. q. 10. a. 11. c. Ergò sicut Deus mala permittit ob majus bonum, aut ne sequatur majus malum, ita licitè Cæsar & Status Catholici libertatem falsæ Religionis permittunt, ne vera Religio penitus intereat. Ex duobus enim malis minus eligi debet. c. duo mala dist. 13.

RATIO III.

Zizania non evellenda.

Divinæ gubernationis exemplum, Christus Zizaniorum parabolâ confirmat Matth. 13. prohibens, *ne eradicentur cum periculo tritici, & mandans, ut sinantur crescere usque ad messem.* Christo igitur morem gerunt, dum cum periculo tritici nolunt eradicare hæreticos, sed in itâ Pace sinunt illos crescere usque ad messem à Deo decretam.

RATIO IV.

Vasa sacra vendi possunt.

Vasa Ecclesiæ etiam iniuriata confringere, conflare, vendere licet propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cœmeteriorum c. aurum 12. q. 2. ergò prædia quoque, pagos & oppida Ecclesiarum hæreticis cedere & transcribere fas est ad redimenda extrema mala, & pericula Imperii & Religionis.

RATIO V.

Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.